



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divus Stanislaus Kostka S.I.**

**Callenberg, Caspar**

**Neuhusii, 1716**

Iconismus 6tus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69536](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69536)



## ICONISMUS 5tus.

*Ob oculos ponit Stanislaum Viennensi jam itineri  
studiorum causa accinctum, & Parentibus  
valedicentem. Epigraphe super Parentes :  
OSCVLABANTVR EVM DOLENTES. Isaie  
20. 38.*

### EPIGRAMMA :

Ergo Stanislaus charis divulsus ab ulnis,  
Ibit in austriacas, extera regna, plagas!  
Matris summus amor; Patris ibit summa volu-  
Ibit Kostkææ Vitæq; luxq; domûs. (ptas!  
Ibit; & externis (heu!) Kostka peribit in oris:  
Irreduces ibit scilicet ille vias.  
Dum licet, irreduci date basia mille parentes:  
Dum licet, aternum, dicite, nate vale.

## ICONISMUS 6tus.

*Sistit Stanislaum in Archi-Gymnasio Viennensi  
Doctrina Virtutumq; radiis inter Condiscipu-  
los praecminentem. Epigraphe : NEC PAR-  
VVM DECVS. Silius Italicus l. 2. de bello  
Punico.*

Epigram. de Stanislao ad Universitatem  
Viennensem.

D 5

Sit



Sit puer; *Austriacas* puer hic illuminat oras,  
 Illustratq; tuas, clara Vienna, scholas. (las;  
 Discipulos quot habes, tot habes Academia stel-  
 Inter at has stellas, *Cynthia*, *Kostka* fuit.

2.

*Kostkiades* alios tantum Virtutibus anteit  
*Ante alios quantum Pegasus ibat equos.*

3.

*Major in exiguo regnabat corpore Virtus;*  
*Maximus in Minimo se probat esse Deus.*

4. *Doctrina Stanislai.*

*Conceptus Poeticus.*

*Ipsa Viennensem visebat Gymnada Phoebus,*  
*Pierides junctæ, junctaq; Pallas erat.*  
*Attraxit Clarias, præ cunctis Kostka sorores :*  
*Kostka Viennensis gloria prima scholæ.*  
*Legerunt Profam, legerunt Carmina Musæ ;*  
*Carmina lecta placent, Profaque lecta placet.*  
*Fit plausus: Pindi duo Culmina divide Phœbe,*  
*Divide cum Kostka, turba novena canit.*  
*Addidit: & Kostkã dum cernis, plaude Minerva:*  
*Si sine Matre Dea es, non sine fratre Dea es.*

5.

*Stanislaus in exercitationibus scholasticis pia*  
*tractabat argumenta, & plurimum Cœli*  
*Reginæ laudes. Sacchinus in*

*vitap. 1. c. 3.*

CON-



*Conceptus Poëticus.*

Fortè vagabatur turbæ sociata sororum  
 Calliope, nitidas molliter unctâ comas.  
 Namq; peregrinos Helenes meretricis amictus,  
 Induerat, positâ Virgine, tota cohors.  
 Græcorum prædata animos, prædata Latinos,  
 Mille canit *Veneres*, mille petulca *Joves*.  
 Kostkiades meliora docet, nam Mystra pudoris,  
 Expiat incestis spurca Lycea choris.  
 Pieridâsq; monens castum spirare pudorem,  
 Esse procul *Veneres* jussit, & esse *Joves*.  
 Exemplôq; docet; merito vel pangere grates  
 Christo, vel laudes clangere, Virgo, tuas.  
 Aut certè castis modulari carmina plectris,  
 Carmina Christicolis non inhonora choris.  
 Profuit exemplum; puduitq; errâsse Camænas,  
 Jamq; canunt casto, quod decet, ore cani.  
 Dicite *Virgineas* iterum nunc ergo *Camænas*;  
 Quippe *Meretrices* ante fuere *meræ*.

6. Alius similis.

Quæ priùs incestæ fuerant, Te, Kostka, Magistro  
*Pierides* Paphios dedidicere modos.  
 Inq; locum *Veneris* cessit pulcherrima *Virtus*;  
*Desecratus* eras; es modò, *Pinde*, sacer.  
*Laurea Pierides* casto date ferta *Magistro*;  
 Cingite *Virgineum*, *Virgine* fronde, caput.  
 NB. *Daphne* virgo in laurum mutata à Poëtis fin-  
 gitur, hinc laurus *virginea*.